

precium inter ipsos comuniter dividatur; et si qua persona huiusmodi banitos denunciaverit dominio Tergesti, et ex ea denuntiatione pervenerit in fortiam comunis, habeat¹⁾ talis denunciatus libr. centum par. a comune Tergesti et teneatur ei
 5 in credentiam; et si qua persona huiusmodi banitos unum vel plures caperet et conducirer in forciam comunis, habeat libr. ducentas par. a camera comunis et teneatur in credentia, et si plures fuerint qui caperent dictos banitos, dictum precium inter ipsos comuniter dividatur. ¶ Insuper prohibemus quod
 10 nullus habitans in loco monasteri sanctorum Martirum de Tergesto, nullus hospitalarius hospitalis infirmorum, nec fratres minores, nec aliqui habitantes in aliquibus ecclesiis vel capellis districtus Tergesti, nec aliqui saltarii sint ausi palam vel occulte de die vel de nocte tenere in habitationibus et locis
 15 eorum aliquam personam banitam per comune Tergesti modo quocunque, nec aliquam aliam gentem armatam in magna vel in parva quantitate, et si quis ipsorum contrafecerit, puniatur pena quam maius consilium eidem inponere vellet.

Cap. XXVII. De igne studiose posito in domo
 20 frugibus et feno. // Ed de vitum obtrun- 135 A
 chacione. Et de faccientibus carbones.
 R. ca.

Quicumque in civitate Tergesti studiose ignem posuerit in aliqua domo sine remissione conburatur, et si ignem
 25 posuerit in fraschato aliquo vel in aliquo alio loco, unde dampnum eriri possit, puniatur in discretionem domini in bonis vel persona. ¶ Et quicumque fraudulentem ignem in frugibus posuerit vel vites viridas truncaverit vel distruxerit, solvat comuni Tergesti libr. quinquaginta par. nomine pene, vel perdat
 30 manum dextram, si dampnum fuerit a viginti den. superius, si vero fuerit a viginti den. inferius, solvat unam march. comuni; et si malefactor etatem non habuerit, remaneat in discretionem domini a predicta pena inferius; de dampnis vero datis

¹⁾ *habeat-denunciatus* aggiunta marginale.